

Michael Cobabus Melchior Bilterling

**Disputatio Analytico-Theologica, Super Capitis tertii partem posteriorem, & Caput IV. Epistolae ad Romanos, Exhibens Pauli Apostoli Dissertationem De Statu, Et Ratione Status, Christiani in Christum vere credentis, in iudicio iusti, & summi iudicis**

Rostochi[i]: Richelius, 1664


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740039318>

Druck Freier  Zugang



R. U. Med. 1664.

Michael Gobabius / a  
Kant. Mecklenburg Pommern



DISPUTATIO  
 ANALYTICO-THEOLOGICA,  
 Super  
*Capitis tertii partem posteriorem, & Caput IV.*  
*Epistolæ ad Romanos,*  
 Exhibens  
 Pauli Apostoli Dissertationem  
 DE  
**STATU,**  
 ET  
**RATIONE STATUS,**  
 Christiani in Christum verè credentis, in judi-  
 cio justì, & summi judicis,

*Quam*  
 Domino nostro Jesu Christo auxiliante,  
*Amplissima Facultatis Theologicae consensu*  
 SUB PRÆSIDIO  
 DN. MICHAELIS COBABI,  
 Theol. D. & P. P.

*Eruditorum disquisitioni submitte*  
 MELCHIOR BILTERLINGIUS,  
 Curâ - Livonus.

d. 26. Martii An: 1664.

☉:(o):(☾

ROSTOCHI

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr.

1664

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



DISPUTATIO  
ANALYTICO-THEOLOGICA

supra

*Posteriorem partem Capitis tertii, & Caput quar-  
tum Epistolæ ad Romanos.*

De

Statu, & Ratione Status Christiani, in  
Christum verè credentis, in judicio justì, & sum-  
mi judicis.



In Disputatione præcedente proposuimus Pauli Apostoli dissertationem de Statu, & Ratione Status Pharisæi, vel Hypocritæ in judicio summi judicis: Nunc sequitur Apostoli dissertatio de Statu, & Ratione Status Christiani, in Christum verè credentis, in ejusdem judicis judicio. Quo Statu non datur melior in hac vita, quid enim in illa magis expeti & desiderari potest, quàm in judicio justì, & summi judicis à peccatis absolvi, justum pronuciari, & hæredem bonorum cœlestium declarari? Miser profectò est ille homo, qui, hujus Status felicitate neglectà, per mundi sapientiam eligit, & amplectitur, quod animæ summam adfert perniciem. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, anima verò detrimentum capiat? Matt. 16, 26. Ratio hujus Status non cognoscitur ex lege, neq; per mundi sapientiam. Nam justitia, quæ Deo probatur, absq; lege est revelata, & sapientibus hujus seculi est stultitia; sed ex Evangelio: Sola namq; lex fidei dicit: Justificamur gratis, DEI gratiâ, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu. Si itaq; quaeritur, quomodo Christianus apud Deum, vel in conspectu DEI sit

A 2

justus

justus, & excusabilis; An ille justus sit in conspectu Dei ex operibus legis, vel per justitiam, quæ est per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt; Apostolus prius negat, & refutat: posterius autem affirmat, & probat. Initio disertè docet: Nullum hominem justificari ex operibus legis in conspectu Dei, illudq; probat sequentibus argumentis.

*Primum Argumentum.*

Omnes homines sunt peccatores. E. ex operibus legis nulla caro, nullus homo justificatur in conspectu Dei.

*Antecedens* probavit in priori parte Capituli tertii argumentis evidentissimis. *Consequens* I. prop. vers. 20. Ergo ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu Dei, ubi (a) justificari non significat subjective, formaliter, vel per infusam habitum inhærenter ex injusto justum fieri, sed à peccatis absolvi, & innocentem atq; excusabilem in judicio divino pronunciat. Nam vox justificandi, sicut in aliis Scripturæ locis: ut Esa 5, 23. Prov 17, 15. Ps 143, 3. Rom. 8, 33. 34. &c. ita quoque hoc loco accipitur in sensu merè forensi, & significat actionem judicariam condemnationi oppositam, quæ quævis à reatu, vel jure mortis, & peccati absolvitur. (b) opera legis hic non opponuntur operibus reatorum, novisq; motibus justificationem præcedentibus. Nam per opera legis intelliguntur opera à Deo in lege mandata, sive illa fidem præcedant, sive fidem sequantur. Nam homo justificatur gratis, Dei gratiâ, per redemptionem Jesu Christi. Quæ igitur opera Apostolus hic vocat opera legis, illa in sequentibus vocat opera sine ulla restrictione. 2. probatur. Nam peccatorem esse, & ex operibus legis justificari sunt pugnancia, lex enim non potest justificare, nisi illum, qui prorsus expertus est peccati, vel nullum peccatum habet, & perfectè operatur. Si igitur omnes homines sunt peccatores; Si omnes homines habent peccatum, & propterea nullus homo legi perfectione operum satisfacit, sequitur nullum hominem ex operibus legis, vel in lege mandatis, in judicio divino justificari, nam negatâ causâ vel operum perfectione, negatur quoque effectus, vel justificatio legalis, sive justifi-

EPIST. AD ROMANOS.

justificatio ex operibus. Unicuiq; igitur dicendum, sicut scriptum est Psal. 143. v. 3. Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur sc: ex operibus, in conspectu tuo omnis vivens.

*Secundum Argumentum.*

Per legem est agnitio peccati. E. ex operibus legis nulla caro, nullus homo justificatur in conspectu Dei.

*Antecedens* proponit vers. eodem. *Per legem enim agnitio peccati*, ubi per legem intelligitur lex moralis, hæc enim est principium commune, è quo Græci, & Judæi peccatum cognoscunt: hæc omnibus hominibus est insita, & ab Apostolis, sicuti in fine hujus capituli docetur, est stabilita: quæ prædicata cum legi morali, vel decalogo convenient, sequitur de illa lege Apostolum hic loqui. *Consequens* probatur, nam peccatum homini cognitum reddere, & hominem ex operibus justificare, sunt opposita, sunt effectus contrarii. Cujus igitur effectus post lapsum est homini peccatum monstrare, vel cognitum reddere, istius effectus post lapsum esse nequit hominem ex operibus justificare. Nam de quo dicitur unum oppositorum, de eo negatur alterum.

*Tertium Argumentum.*

Ex lege non est justitia Dei, vel justitia, quæ Deo probatur.

E. ex legis operibus nulla caro, nullus homo justificabitur in conspectu Dei:

*Antecedens* probat. Nam si justitia Dei, vel quæ Deo probatur esset ex lege; justitia Dei absq; lege non esset revelata: *Jam verò absq; lege justitia Dei est revelata.* quod proponit v. 21. ubi Apostolus docet, quod principium, è quo est, & cognoscitur justitia Dei, non sit lex, quia non in lege, sed absq; lege illa est manifestata. In lege igitur, & per legis opera frustra quæritur justificatio, salus, & vita æterna.

*Objectio I.*

Justitia, quæ sine lege est revelata est nova, & recens nata.

E. justitia, quæ sine lege est revelata, non est justitia Dei, vel justitia in conspectu Dei valens.

Resp. ad *antecedens* negando. Nam justitia absq; lege revelata, est

4  
CAPUT III.

justitia Dei, cui testimonium perhibent lex, & Propheta. quod proponit v. eod. *μαρτυροῦμεν ὑπὸ τῆς νόμου, καὶ τῆς προφητῶν.* Cui testimonium perhibent lex, & Propheta, ubi Apostolus provocat ad testimonium legis, & Prophetarum, ut demonstraret, justitiam absque lege revelatam non esse novam. Nam 1. omnes Prophetae nostro Domino Jesu Christo, qui definitus est à Deo iudex vivorum & mortuorum, testimonium dant, remissionem peccatorum accepturum per nomen eius quemvis, qui crediderit in eum Act: 10, 43. 2. Lex illos, qui sunt in Christo Jesu non terret, non damnat, quis enim electos Dei accusabit? quis est, qui condemnet? Rom. 8, 33, 34. Nulla condemnatio est in illis, qui sunt in Christo Jesu. cap. eodem v. 1. Cum CHRISTO verò non unitum terret, & condemnat. Quo ipso lex testatur, se imbecillum esse factam per carnem, vel corruptam hominis naturam Rom. 8, 3. justitiam verò fidei esse justitiam Deo probatam, & acceptam, unde lex facta est Pædagogus noster in Christum, ut ex fide justificaremur. Gal. 3, 24.

Obiectio 2.

Justitia Dei, vel justitia, quæ Deo probatur, in lege est revelata.

E. Justitia Dei absq; lege non est revelata.

v. 22.

Resp. ad Antecedens negando. Nam justitia in lege revelata, non est justitia, quæ est per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt. *Justitia verò Dei est per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt.* Quod proponit v. 22 ubi describitur justitia Dei. 1. à causa instrumentali, ipsam apprehendente, quæ est fides justificans, cujus objectum speciale est Jesus Christus. *Nam justitia Dei est per fidem Jesu Christi.* Fides igitur justificat non per modum dispositionis supernaturalis; sed per modum instrumenti. Nam Deus Christi meritum acceptare constituit; Si à nobis illud verà fide apprehenditur. Fides verò concurret ad justificationis actum tanquam ratio movens, non ratione sui, vel suæ dignitatis, sed ratione objecti, vel meriti Christi, ut Deus nos in suo iudicio à peccatis absolvat, & justos pronunciet. 2. à subjecto, cui justitia apud Deum valens imputatur, illud sunt credentes. *Nam justitia Dei est in omnes, & super omnes, qui credunt.*

Obje-

## Objectio 3.

Judæi habent, quo gloriantur apud Deum.

E. Judæi in conspectu Dei ex operibus legis justificantur.

Resp. (a) ad antecedens negando. Non enim est distinctio se. Judæorum, & Græcorum apud Deum. Si igitur Græci vel gentes non habent, quo gloriantur apud Deum, Judæorum quoque nulla erit in conspectu Dei gloriatio. Quod proponit v. eodem. *Non enim est distinctio.* 2. probat, omnes enim sunt peccatores, & egent gloriâ Dei. Quod proponit v. 23. ubi peccatum describitur 1. a subiecto, quod non sunt quidam, sed omnes homines. 2. ab effectu. Nam peccatum facit, ut omnis homo, sive sit Græcus, sive Judæus egeat gloriâ Dei, neque in se inveniat, quo gloriatur apud Deum.

(b) Ad Consequens negando. Nam Judæi justificantur gratis in conspectu Dei.

E. Judæi in conspectu Dei non justificantur ex operibus legis. Consequens probatur, quia vox gratis propriè, & formaliter denotat negationem meriti, vel operum. Nam gratis dare significat absque merito dare. *Antecedens* 1. proponit v. 24. *Qui justificantur* v. 24. *gratis.* 2. probat seq. Argument.

Judæi justificantur gratiâ Dei.

E. Judæi justificantur gratis.

*Consequens* probatur, quia gratia Dei opposita operibus, sicuti in aliis Scripturæ locis, ita quoque hoc loco significat gratuitum Dei favorem, & dilectionem respectum habentem ad nostram misericordiam, omni hominis merito, & opere excluso. Quare gratiâ Dei justificari, & non gratis justificari sunt opposita, quæ se mutuò convellunt. Nam qui justificatur, ille vel ex operibus, vel ex gratiâ justificatur. Si verò ex gratia, jam non ex operibus, alioquin opus jam non esset opus, Rom. II, 6.

*Antecedens* 1. proponit v. eodem. *Qui justificantur gratis* Dei. 2. Probat seq. Argument.

Judæi justificantur per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.

E. Judæi justificantur gratiâ Dei.

6 CAPUT III.

*Consequens* probatur: Nam ἀπολύτρωσις, vel redemptio illa spiritalis, quæ pro humano genere, DEO, ut iusto Domino, & iudici pretii solutio à Domino nostro Jesu Christo facta est, à parte hominis est gratuita, gratiæ namque, & dilectioni Dei acceptum est ferendum, quòd Christus pro impiis sit mortuus. Si enim Deus non commendat charitatem suam erga nos, Christus pro nobis, cum adhuc essemus peccatores, non esset mortuus; sed commendat charitatem suam erga nos Deus, quòd, cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis sit mortuus, Rom. 5, 8.

*Antecedens* 1. proponit versu eodem: *Qui justificantur per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Ubi ἀπολύτρωσις non significat simplicem liberationem, vel liberationem factam sine pretio. Nam ἀπολύτρωσις propriè significat redemptionem captivi, vel venditi, peroluto pro ipsius capite precio, à qua significatione hoc loco non est recedendum. Nam Christus pro omnibus hominibus dedit redemptionis pretium, 1. Timoth. 2, 6. quòd non est aurum vel argentum, sed ipsius pretiosus sanguis, 1. Petr. 1, 19. & oblatio corporis ipsius, Hebr. 10, 10. Nam Christus mortuus est præstituto tempore pro impiis, Rom. 5, 6. In ipso habemus redemptionem per sanguinem ipsius remissionem peccatorum, Coloss. 1, 14. 2. Probat quòd

(a) Judæi in V. T. justificati sunt per redemptionem factam in Christo Jesu, seq. Argum.

Jesum Christum proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ut demonstraret justitiam suam per remissionem peccatorum præcedentium, vel antefactorum.

E. Per JESU CHRISTI redemptionem justificati sunt Judæi in Vet. Testamento.

*Antecedens* proponit versu 25. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem justitiæ suæ per remissionem peccatorum præcedentium.* Ubi Apostolus respicit ad propitiatorium Exod. Cap. 25. vers. 22. & vox propitiationis nos admonet de DEI ira, adversus peccata, & de remedio adversus iram in propitiatore Domino nostro JESU CHRISTO. Quare absque merito Christi, & fide in Christum in Vet. Testam. homines

homines

mines non sunt salvati. Nam justificatio in Veteri Testam. facta hoc loco describitur 1. à causâ meritoria, quæ est sanguis Christi. Nam sine sanguinis effusione nulla fit remissio peccatorum, Heb. 9, 22. 2. à causa instrumentali. Nam Christum DEUS in Vet. Testam. propitiationem proposuit non absolutè, sed per fidem in sanguine ipsius. 3. A fine, qvi est demonstratio justitiæ divinæ.

*Consequens probatur: Quia peccata, quæ præcesserunt, vel facta sunt ante Christum exhibitum, DEUS, donec Christus veniret, eaq; expiaret, toleravit in credentibus, non verò punivit æterno supplicio, sed intuitu satisfactionis futuræ credentibus clementer remisit: quod proponit versu eodem dicens: per remissionem peccatorum præcedentium in illa tolerantia DEI.*

(b) Quòd Judæi in Novo Test. justificentur per redemptionem Jesu Christi, probatur seq. Argum.

Jesum Christum DEUS proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ut demonstraret justitiam suam per remissionem peccatorum in præsentì tempore.

E. Per Jesu Christi redemptionem justificantur Judæi in Novo Testamento.

v. 26.

*Antecedens 1. proponit v. 26. Quem proposuit DEUS propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ut demonstraret justitiam suam per remissionem peccatorum in præsentì tempore. 2. Explicat, quòd, ut demonstraret justitiam suam per remissionem peccatorum, sit, ut sit ipse justus, & justificet eum, qui est ex fide JESU. Ubi Apostolus docet, 1. justitiam Dei, quâ ipse justus est, non permittere, ut homo peccator in foro divino à peccatis absolvatur, & justus pronuncietur, absque redemptione Jesu Christi fide apprehensâ. 2. Justitiam DEI velle in utroque Testamento, ut homo peccator, qui est ex fide Jesu in Judicio divino à peccatis absolvatur, & justus pronuncietur. Nam jus legis DEUS executus est in filio, qui vices nostras sustinuit, & pro impiis est mortuus. In ipsum enim DEUS derivavit poenas nostris peccatis debitas. Nam qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur Justitia DEI*

B

in co

CAP. III.

in eo 2. Cor. 5. 21. Tanta est Dei ira adversus peccata, ut nullâ hostiâ placari potuerit nisi merito filii!

Postquàm Apostolus probavit, quòd nullus homo in conspectu DEI justificetur ex operibus legis, & objectiones contradicentis refutavit, concludit contra meriti fiduciam. 1. Hominis gloriationem, quâ gloriatur, quòd per bona opera apud Deum sit justus, & excusabilis, esse nullam. 2. Hominem justificari fide absq; operibus legis.

v. 27.

Prius 1. proponit figurate v. 27. *Ubi igitur gloriatio?* 2. probat sequenti Argumento:

Gloriatio, quâ quis gloriatur, quòd per bona opera apud Deum sit justus, exclusa est per fidei legem.

E. Gloriatio, quâ quis gloriatur, quòd apud DEUM sit justus per bona opera, nulla est.

*Antecedens* proponit v. eodem 1. per *εργων*. *exclusa est, per quam legem? operum? Non.* Nam lex operum non dicit: Homo justificatur gratis, DEI gratia, per redemptionem Jesu Christi, sed *fac hoc, & vives.* 2. Per *ἰστον*: *Sed per legem fidei.* Nam lex fidei, vel

v. 28.

Evangelium dicit: Homo justificatur fide absq;ve operibus legis. Posterius proponit, v. 28. *Colligimus igitur*, scilicet: ex antecedentibus, *fide justificari hominem absq; operibus legis.* Ubi fides opponitur non tantùm operibus, quæ fiunt solò legis dictamine, solisq; naturæ viribus, sed etiam operibus renatorum, & fidem sequentibus. Nam opera renatorum sunt 1. opera à DEO in lege mandata. 2. Opera imperfecta, quæ in conspectu DEI hominem non justificant. 3. Fides opponitur in actu justificationis operibus Abrahami. Cap. 4. v. 2. & seq. Abrahami autem opera sunt opera ex fide facta, quia Abrahamus fuit renatus, & pater Credientium.

*Obiectio I.*

DEUS non est DEUS gentium.

E. Gentes DEUS non justificabit per fidem.

*Antecedens* probatur seq. Argum.

DEUS est tantùm Judæorum DEUS.

E. DEUS non est DEUS gentium.

Resp. (a)

Respondet (a) ad antecedens negando, quia DEUS non tantum Judaeorum est DEUS, sed etiam gentium, quod proponit v. 29. v. 29.  
*An Judaeorum DEUS solum? Annon & gentium? tertè & gentium.*

(b) Ad consequens negando, quod DEUS gentes non justificet per fidem, siquidem DEUS unus est, qui justificabit circumcisonem, vel Judaeos ex fide, & preputiam, vel gentes per fidem. Quod proponit versu 30. v. 30.

**Objectio 2.**

Apostoli docent: Hominem fide justificari absque operibus legis.

E. Apostoli legem cassam, & irritam faciunt.

Consequens proponit v. 31. *Legem igitur in anem reddimus per fidem?* v. 31.

Resp. Ad consequens, quod sit absurdum. Nam absit, inquit Apostolus, nos per fidem legem cassam reddere. Nam si legem cassam redderemus per fidem, legem non stabiliremus, legem autem stabilimus. Ubi probatur, Apostolum hactenus locutum esse de usu legis moralis, & probasse, quod ex illa non sit justitia DEI, sed agnitio peccati, & iræ divinae. Haec enim lex ab Apostolis est stabilita, & confirmata.

**Objectio 3.**

Abrahamus non habet, quod gloriatur apud Deum.

E. Abrahamus nihil invenit secundum carnem.

Consequens est absurdum, quod proponitur v. 1. à contradicente figuratè, per communicationem rhetoricam, Apostolum ita alloquente: *Quid igitur dicemus Abrahamum patrem nostrum invenisse secundum carnem?* An dicemus illam nihil invenisse, præ gentibus? Absit, absurdum est, ita de sanctissimo nostro patre Abrahamo loqui, absurdum itaque etiam est antecedens, quod est Apostoli dicentis: Nullam dari distinctionem, omnesque egere gloriae Dei. Quæritur igitur: An Abrahamus habeat, quod gloriatur apud Deum, Apostolus illud negat, & refutat seq. Argum.

Abrahamus apud Deum non est justificatus ex operibus.

E. Abrahamus non habet, quo gloriatur apud Deum.

- v. 2. *Consequens* 1. Proponit v. 2. *Sed non apud Deum*, Scil. Abrahamus habet, quo gloriatur. 2. Probat, quia gloriatio illa præsupponit justificationem ex operibus. Negatâ igitur justificatione ex operibus, vel causâ gloriationis apud Deum, negatur quoq; gloriatio apud DEUM, vel effectus justificationis ex operibus: quod proponit v. 2. *Nam si Abraham justificatus est ex operibus habet, de quo gloriatur, at non apud Deum:*

*Antecedens* probat seqv. Argumentis.

*Primum Argumentum.*

Abrahamum justificatum esse apud Deum ex operibus, Scriptura non dicit.

E. Abrahamus ex operibus apud Deum non est justificatus.

- v. 3. *Antecedens* 1. proponit v. 3. *Quid enim Scriptura dicit? An Scriptura dicit, Abrahamum justificatum esse ex operibus apud Deum? Absit, absurdum est hoc dicere.* 2. Probat seq. Argumt.

Scriptura dicit, Abrahamum credidisse, illudq; ei imputatum esse ad justitiam.

E. Scriptura non dicit, Abrahamum ex operibus apud Deum esse justificatum.

*Antecedens* 1. proponit v. 3. *Credidit autem Abraham DEO, & imputatum est ei ad justitiam.* Ubi credere significat DEI promissionem de futuro semine propositam amplecti. Promissio enim principalis Abrahamo data nō est promissio terrena, sed promissio feminis, propt. quod Deus nobis est propitius, & Abrahamum in suam tutelam gratiosè recepit, eiq; gratiam, salutem & vitam promisit. Credere igitur non denotat universam Abrahami obedientiam. Nam obedientia fidem sequitur, sed fiduciam misericordix in Christo promissæ, quâ expectavit auxilium à Domino.

- v. 4. *Consequens* probat quia 1. Abrahamo credenti merces imputata est gratis, vel ex gratia, non ex debito. *Ei verò qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito*, quod proponit v. 4. ubi Apostolus distinguit inter mercedē gratiæ, & debiti. Prior est credenti.

dentis, quippe qui justificatur gratis Dei gratiâ absq; operibus; imputare igitur hoc loco est gratuitò dare, vel ex gratia conferre. Posterior est operantis, vel legem perfectè servantis. Huic merces non imputatur ex gratia, sed ex debito. Ubi igitur imputare non significat gratuitò dare, sed propter meritum, vel opera. Loquitur autem Apostolus hoc loco sicuti cap. 2. ex hypothesi, ut faciat rerum diversarum differentiam, & ostendat, quòd fidei iustitia sit gratuita, & differat à iustitia legali. Si igitur credere, ut justificemur apud Deum, & operari, ut justificemur apud Deum, sunt contraria, sequitur scripturam non dicere, Abrahamum in conspectu Dei justificatum esse ex operibus.

2. Abrahamus non est operatus, ut apud Deum per opera sua esset justus; credidit autem in eum, qui justificat impium. *Ei autem qui non operatur, scilicet ut justus sit apud Deum, vel in conspectu Dei justificetur ex operibus, Credit autem in eum, qui justificat impium, fides sua imputatur ad iustitiam* quòd proponit v. 5. Ubi Apostolus docet, quòd finis, vel effectus bonorum operum non sit justificatio hominis renati apud Deum. Nam Abrahami operantis intentio, & scopus non fuit, ut per opera sua mereretur salutem, & apud DEUM ex operibus justificaretur. Sciebat enim, quòd etiam renati opera non possint opponi iræ Dei. Quemadmodum igitur Paulus aperte confitebatur, quòd esset carnalis. Lex verò spiritualis, ita quoque Abrahamus in se invenit legem rebellantem legi mentis, & infirmitate suâ agnitâ, omnium operum fiduciam abjecit, & in promissione futuri seminis unicè acquievit. Falsum igitur est, quòd justificatio alia sit prima, & alia secunda.

v. 5.

*Secundum Argumentum.*

Abrahamus est beatus.

E. Abrahamus ex operibus in conspectu Dei non est justificatus.

*Consequens probatur, quia Scriptura declarat beatum eum hominem, cui DEUS imputat iustitiam absque operibus, quòd i. proponit v. 6. Sicut etiam David declarat beatum eum hominem, cui*

v. 6.

B 3

Deus

*Deus imputat justitiam absque operibus.* Ubi justificatio definitur non per infusionem gratiæ justificantis, vel justitiæ habitualis, sed gratuitam imputationem, quæ Deus absque operibus credenti imputat justitiam Christi. Nam beatitudo hominis est imputatio justitiæ absque operibus. Si igitur justificatio est beatitudo hominis, justificatio quoque erit imputatio justitiæ absque operibus.

v. 7. 8. 2. Probat nam Psal. 32. scriptum est: *Beati, quibus remissa sunt legis transgressiones, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputat Dominus peccatum.* Quod proponit v. 7. 8. ubi Apostolus probat, quod imputare justitiam non significet imputare justitiam inhaerentem, vel habitualement, sed remittere peccata, & quod remittere peccata sit peccatum tegere, & peccatum tegere sit peccatum non imputare, vel peccatum commissum pro non commissio habere, illudque gratis condonare, & non ad reatum, vel condemnationem, & pœnam imputare.

v. 9. Quibus propositis, queritur v. 9. An illa beatitudo, vel justificatio, quæ consistit in imputatione justitiæ, remissione peccatorum, tentione peccatorum, & non imputatione peccati, duntaxat spectet ad Judæos, vel an illa quoque pertineat ad credentes incircumcisos. *Isa igitur beatitudo ad circumcisionem, an etiam ad præputium?* Apostolus affirmat, quod beatitudo illa quoque pertineat ad credentes incircumcisos. Contradicens verò illud negat, & ita opponit.

Gentiles credentes carne sunt incircumcisi.

E. Ad gentiles credentes beatitudo illa, quæ consistit in imputatione justitiæ, & remissione peccatorum non pertinet.

v. 9. *Consequens probatur.* Nam dicimus, quod imputata sit Abrahamo fides ad justitiam, Abrahamus autem non fuit carne incircumcisos, quod proponit v. 9. *Dicimus enim, imputatam fuisse Abrahamo fidem ad justitiam.*

v. 10. R. Ad *Consequens* i. negando. Nam Abrahamo fuit imputata justitia ante circumcisionem, quando adhuc fuit in præputio. Quod proponit figurate v. 10. *Quomodo igitur Abrahamo fides imputata est ad justitiam, an cum esset in circumcissione, vel an cum esset adhuc in præ-*

*in præputio. Non in circumcissione, sed in præputio, scilicet ipsi imputata est iustitia. Si igitur non sequitur:*

Abrahamus credens fuit carne incircumcissus.

E. Ad Abrahamum credentem non pertinet illa beatitudo, quæ consistit in imputatione iustitiæ. Quæ ratione dici, & opponi potest.

Gentiles carne sunt incircumcissi.

E. Ad gentiles credentes non pertinet illa beatitudo, quæ consistit in imputatione iustitiæ.

Annon gentili credenti, & carne incircumciso eodem modo imputatur iustitia fidei, sicuti Abrahamo credenti illa imputata est ante circumcissionem?

2. Argum. invertendo.

Gentiles credentes carne sunt incircumcissi.

E. Ad gentiles credentes spectat beatitudo illa, quæ consistit in imputatione iustitiæ, remissione peccatorum, tectioe peccatorum, & non imputatione peccati.

Consequens probatur quia 1. Abrahamus est pater omnium credentium in præputio, ut etiam ipsis imputaretur iustitia.

2. Abrahamus est pater circumcissionis, ut imputaretur iustitia illis, qui non tantum sunt ex circumcissione, sed etiam, qui incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.

Prius probatur sequen: argumento.

Abrahamus signum accepit circumcissionis sigillum iustitiæ fidei, quæ fuit in præputio, ut esset pater omnium credentium in præputio, ut etiam ipsis imputaretur iustitia.

E. Abrahamus est pater omnium credentium in præputio, ut etiam ipsis imputaretur iustitia.

Antecedens proponit v. 11. Et signum accepit circumcissionis sigillum iustitiæ fidei, quæ fuit in præputio, ut esset pater omnium credentium in præputio, ut etiam ipsis imputaretur iustitia.

v. 11.

Posterior probatur sequ. Argument.

Abrahamus signum accepit circumcissionis, sigillum iustitiæ fidei, ut etiam esset pater circumcissionis, vel Judæorum, ut imputaretur

taretur iustitia iis, qui non tantum sunt ex circumcissione, sed etiam, qui incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.

E. Abrahamus est pater circumcissionis, ut imputareretur iustitia illis, qui non tantum sunt, ex circumcissione, sed etiam, qui incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.

v. 12.

*Antecedens proponit vers. 12. Et pater circumcissionis iis, qui non tantum sunt ex circumcissione, sed etiam, qui incedunt vestigiis fidei patris nostri Abrahami, quæ fuit in præputio.*

### *Tertium Argumentum.*

Abrahamo, aut semini ejus non per legem facta est promissio, ut esset hæres mundi, sed per iustitiam fidei.

E. Abrahamus ex operibus apud Deum non est iustificatus.

v. 13.

*Antecedens 1. proponit v. 13. Nam non per legem Abrahamo, aut semini ejus facta est promissio, ut esset hæres mundi, sed per iustitiam fidei, ubi Apostolus loquitur non de mundo præsentis, sed de futuro, textus enim non permittit, ut mundus aliter hoc loco accipiatur.*

2. Probat Apostolus (A) quod non per legem Abrahamo, aut semini ejus facta sit promissio, ut esset hæres mundi, ut ostendatur, de Abrahami iustificatione nihil aliud dici posse, quam quod antea dictum est de aliis hominibus, eumque in operibus suis nullam invenisse iustitiam, quam iudicio divino opponeret. Quam ob rem eadem fere Argumenta capite tertio proposita, ut probaretur, nullum hominem justificari ex operibus legis, hoc loco repetit, & applicat ad ipsum Abrahamum, ut non tantum opera renatorum, vel fidem justificantem præcedentia, sed etiam opera renatorum, vel fidem justificantem sequentia à justificationis actu excludi, demonstret.

### *Primum Argumentum.*

Ex lege non est hæreditas vitæ æternæ.

E. Per legem Abrahamo, aut semini ejus non facta est promissio, ut esset hæres mundi.

*Antece-*

*Antecedens* probatur: Nam impossibile est, hæreditatem mundi futuri, vel vitæ æternæ esse ex lege, vel nobis obtingere ex conditione observatæ legis. Nam si illi sunt hæredes, qui sunt ex lege, vel ex lege volunt justificari. 1. Inanis est fides promissionem Dei gratuarum respiciens, & frustra creditur promissioni gratuitæ.

2. Promissio, quæ Deus hæreditatem vitæ gratuitò offert, & promittit, est irrita. Quomodo enim dici potest, Deum gratuitò promittere vitam æternam, si promissio non esset gratuita, & hæreditas penderet ex conditione legis servandæ? Quod proponit v. 14. *Si enim illi, qui ex lege sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides, & cassæ reddita est promissio.* v. 14.

### *Secundum Argumentum.*

Lex iram operatur, vel iræ divinæ sensum excitat.

E. Per legem Abrahamo, aut semini ejus non facta est promissio, ut esset hæres mundi.

*Antecedens* proponit v. 15. *Lex iram operatur, scilicet denuncians transgressoribus iram Dei.* Nam peccatum est causa iræ. v. 15.

*Consequens* probatur, quia iram operari, & justitiam apud Deum valentem operari sunt pugnancia.

### *Tertium Argumentum.*

Ex lege est agnitio peccati.

E. Per legem Abrahamo, & semini ejus, non facta est promissio, ut esset hæres mundi.

*Antecedens* probatur. Nam ubi non est lex, vel legis sensus, ibi non est transgressio, vel transgressionis agnitio. Quod proponit v. eodem.

(B) Quòd promissio Abrahamo, aut semini ejus facta sit, ut esset hæres mundi per justitiam fidei, quia hæreditas vitæ æternæ est ex fide. Quod 1. proponit v. 16. *Propterea ex fide, scilicet est hæreditas.* v. 16.

2. Probat sequentibus Argumentis:

Q

Argu-

*Primum Argumentum.*

Hæreditas vitæ æternæ non est ex lege.

E. Hæreditas vitæ æternæ est ex fide.

*Consequens* probatur, quia ex lege esse significat ex operibus velle justificari. Ex fide autem esse significat per justiciam fidei absque operibus salutem querere.

*Secundum Argumentum.*

Hæreditas vitæ æternæ datur secundum gratiam.

E. Hæreditas vitæ æternæ est ex fide.

*Consequens* probatur: Nam finis, propter quem hæreditas est ex fide, est, ut detur secundum gratiam, quod proponit v. cod. *Propterea ex fide, ut secundum gratiam detur.*

*Tertium Argumentum.*

Hæreditatis promissio universo semini, vel omnibus credentibus est firma.

E. Hæreditas est ex fide.

*Consequens* probatur. Nam qui ex lege, vel per promissionem legalem vult esse hæres vitæ æternæ, ille quidem innititur suis operibus secundum legem externè factis, versatur autem in perpetua dubitatione, cum nemo legem perfectè servet, & impleat. Qui verò ex fide est hæres, illi promissio vitæ æternæ est firma. Nam objectum fidei est promissio vitæ æternæ indubitata, quâ gratuitò promisit Deus hæreditatem cœlestem. Huic firmissimè innituntur credentes, & certissimè futurum esse credunt, ut per justiciam fidei tandem participes fiant hæreditatis cœlestis, vel mundi futuri.

*Antecedens* 1. proponit v. eodem, *Propterea ex fide est hæreditas, ut detur secundum gratiam, ut sit promissio firma universo semini.*

2. Probat per inductionem.

Promissio hæreditatis cœlestis firma est Judæis credentibus, & Ethnicis credentibus.

E. Promissio hæreditatis cœlestis firma est universo semini, vel omnibus credentibus.

*Antece-*

*Antecedens* 1. proponit v. eodem, *Propterea ex fide est hereditas, ut detur secundum gratiam, & firma sit promissio universo semini, non solum ei, quod ex lege, sed etiam, quod est ex fide Abrahami.* Ubi ex lege esse non significat ex lege velle justificari, & salvari, sicuti v. 14. Nam ibi ex lege esse, & ex fide esse sibi simpliciter opponuntur. Hic autem semen ex lege esse, & semen ex fide esse sibi opponuntur secundum quid; quatenus is, qui credit est, vel circumciscus, vel non circumciscus. Nam credens, & carne circumciscus est semen ex lege, & semen ex fide Abrahami; credens verò & carne incircumciscus est quidem semen ex fide Abrahami; Non verò semen ex lege, quia origine non est Judæus, sed Græcus, vel gentilis. Unde omne semen ex fide Abrahami dividitur in Judæos credentes, & gentiles credentes.

v. 14.

2. Probat sequent. Argum.

Omnium nostrum sive simus gentes in Christum credentes, sive simus Judæi in Christum credentes, pater est Abrahamus.

E. Nobis omnibus sive simus gentes, sive Judæi in Christum credentes promissio est firma.

*Antecedens* 1. proponit v. eodem. *Qui est pater omnium nostrum.*

2. Probat testimonio Moïsi, nam Gen. 17. scriptum est: *Patrem multarum gentium constitui te.*

3. Explicat, quomodo Abrahamus sit pater multarum gentium, subjungens, quòd sit pater multarum gentium coram eo, cui credidit, DEO vivificante mortuos, vel pater multarum gentium apud Deum per fidem justificantem, quâ exemplar factus est gratiæ justitiæ per fidem impetrandæ, & vivificationem, quâ Deus in peccatis mortuos vivificat. Nam positâ fide justificante, vel justitiâ Christi nobis acquisitam apprehendente, ponitur vivificatio, quâ Deus in delictis spiritualiter mortuos per verbum vitæ vivificat. De hujusmodi vivificatione scriptum est Ephes. 2, 4. Cum essetis mortui in delictis, convivificavit nos. Quemadmodum igitur Abrahamum credentem DEUS vivificavit ita quoque nos per verbum vitæ vivificat, vel justificat, & justos pronunciat.

C 2

Objectio.

*Objectio.*

Nos nondum nati fuimus, quando Abrahamus credidit.

E. Noster pater non est Abrahamus. Nos non sumus filii Abrahami.

Resp. ad consequens negando, quia Abrahamus est pater omnium nostrum coram Deo, qui vocat ea, quæ non sunt tanquam essent. Etsi igitur nos nondum fuimus in mundo, neque credidimus, quando Abrahamus credidit. Deus tamen, cui omnia sunt presentia, nos nominavit, tanquam essemus. Sicuti igitur coram Deo Abrahamus fuit pater omnium credentium, ita quoque nos omnes in Christum credentes coram Deo fuimus filii Abrahami, quod proponit vers. 17. *Deo vocante, quæ non sunt tanquam sint.*

Quod verò Abrahamus sit pater omnium nostrum per fidem salvificam, vel justificantem, quæ exemplar factus est gratuita justitiæ per fidem impetrandæ, prob. seqv. Argum.

Abrahamus præter spem sub spe credidit, fore, ut ipse fieret pater multarum gentium secundum id, quod ei dictum fuerat: Ita erit semen tuum.

E. Abrahamus est pater omnium nostrum per fidem salvificam, quæ exemplar factus est gratuita justitiæ per fidem impetrandæ.

Antecedens i. proponit v. 18. *qui præter spem sub spe credidit fore, ut ipse fieret pater multarum gentium secundum id, quod ei dictum erat: Ita erit semen tuum.* Ubi Apostolus docet, quòd proprium Christiani in Christum verè credentis sit contra spem humanæ rationis sub spe certitudinis divinæ promissionis credere. Nam eadem vox, per ἀντιπρόσπερον, vel reflectionem repetitur mutatâ significatione. Priori loco spei objecta sunt objectiones carnis, vel humanæ rationis, promissioni divinæ adversantes. Posteriori loco objecta spei sunt promissiones Dei indubitatæ. Sicuti igitur Abrahamus credidit præter spem humanæ rationis, sub spe certitudinis divinæ promissionis; Ita Christianus in Christum verè credens submittit sese simplici Dei verbo, & promissione divina sese sustentans indubitato credit, quæ caro, & sanguis non percipiunt. Fides igitur

igitur est fiducia rerum sperandarum propter promissionis divinæ infallibilitatem, contra omnem carnis sensum, & humanæ rationis objectiones, & expectationes.

2. Probatur, quòd Abrahamus præter spem humanæ rationis, sub spe certitudinis divinæ promissionis, crediderit fore, ut ipse fieret pater multarum gentium secundum id, quòd ipsi dictum erat: Ita erit semen tuum. Seqv. Argum.

Abrahamus minimè infirmus fide non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, cum centum annos natus esset, nec emortuum uterum Saræ.

E. Abrahamus præter spem humanæ rationis sub spe certitudinis divinæ promissionis credidit fore, ut ipse fieret pater multarum gentium secundum id, quòd ei dictum erat: Ita erit semen tuum.

v. 19.

*Antecedens* 1. proponit v. 19. *Ac minimè infirmus fide non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, cum circiter centum annorum esset, nec emortuum uterum Saræ.* Ubi Apostolus per expositionem docet, quòd proprium Christiani in Christum verè credentis sit, promissioni divinæ absque ulla hæsitacione, & vacillatione inherere, etiamsi humanæ rationi, & carnis sensui nulla affulgeat spes.

Quemadmodum enim Abrahamus promissione de semine futuro acceptâ, non considerat corpus suum ad generationem naturaliter minus habile, neque ad concipiendum, & pariendum, conjugis uterum emortuum, sed simplici verbo acquiescit. Ita Christianus, cujus pater, & exemplar Abrahamus ex instituto Dei est factus, objectionibus humanæ rationis sepositis, divinæ promissioni tanquam infallibili fundamento, & principio insistit, & Dei verbo simpliciter inhaeret.

2. Probatur: Nam si Abrahamus promissione illâ Dei acceptâ: Ita erit semen tuum, considerasset corpus suum, & Saræ uterum jam emortuum, ipse dubitasset incredulitate: *Ad hanc autem promissionem Dei non addubitavit incredulitate,* quòd 1. proponit v. 20. Ubi Apostolus docet, quòd Christiani proprium sit, v. 20.

C 3

circa

circa promissiones divinas non hæsitare diffidentia, neque addubitare incredulitate, sed simplici verbo, carne, vel humana ratione diversum suadente, sese totum submittere.

2. Probatum Nam si promissione DEI accepta, Abrahamus addubitasset incredulitate, non corroboratus esset fide, neque tribuisset gloriam Deo, sibiq; non plenissime persuasum habuisset, Deum, quod promisit, posse efficere. *Sed corroboratus est fide, Deo gloriam tribuens, & plenissime persuasus, Deum, quod promisit, etiam efficere posse.* Quod proponit v. 20. 21. Ubi Apostolus docet, quod proprium Christiani sit in certamine spirituali animi oculos firmissime defixos habere in divinas promissiones, nihilq; facere gloriæ consequendæ studio, sed DEO gloriam dare, sibiq; certo persuadere, Deum, quod promisit, etiam efficere posse.

Postquam Apostolus exposuit, quod homo non per opera, sed per justitiam fidei iustificetur apud Deum, insimulq; declaravit proprietatem fidei Abrahami, redit ad versum tertium, & ita concludit:

Abrahamus credidit Deo.

E. Abrahamo fides imputata est ad justitiam.

v. 22. *Consequens proponit v. 22. Qua propter etiam hoc ei est imputatum in justitiam.*

Opponenti verò, quod non sequatur. Fides Abrahamo est imputata ad justitiam.

E. Etiam nobis in Christum credentibus fides imputatur in justitiam (Nam ab uno exemplo, & quidem Abrahami Patriarchæ argumentari ad nos nulla valet consequentia) respondet Apostolus, quod illud omninò sequatur.

Nam si scriptum esset: credidit Abraham, & imputatum est ei ad justitiam propter solum Abraham, & non simul propter tum objici posset, quod non liceat argumentari ab exemplo Abrahami ad nos: *Verum non scriptum est, propter eum solum, quod fides ei imputata sit in justitiam, sed etiam propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum, qui excitavit Jesum à mortuis.* Quod 1.

v. 23. 24. proponit versu 23. 24. Ubi ostenditur, unam eandemq; esse rationem

tionem justificationis in Veteri & Novo Testamento. Nam Abrahamus non aliter in Veteri Testamento justificatus est, quam nos in Novo Testamento justificamur.

Si igitur Abrahamus in conspectu Dei justificatus est absque operibus per redemptionem Jesu Christi, sequitur etiam nos in Novo Testamento justificari apud Deum absque operibus per redemptionem Jesu Christi fide apprehensam.

2. Probatur seqv. Argum.

Propter nostras offensas Christus traditus est, & propter nostram justificationem Christus suscitatus est.

E. Nobis in Christum credentibus imputabitur fides, vel justitia fidei ad justitiam.

v. ult.

*Antecedens proponit v. ultimo. Qui traditum est in mortem propter offensas nostras, & excitatus est propter justificationem nostram.*

Vbi describitur justificatio à causâ meritoria, quæ est Christi mors. Nam justificatio nostra apud Deum est effectus mortis, & resurrectionis Christi. Si enim Christus propter nostras offensas non esset mortuus, neque resurrexisset, ut & nos vocati justificaremur, in peccatis mansissemus, neque participes facti essemus justitiæ gratuitæ, atque hæreditatis. Cum igitur Christus pro nobis sit mortuus, & resurrexerit, ut etiam nos vocaremur, & justificaremur, sequitur non tantum Abrahamo, sed etiam nobis in Christum credentibus imputari fidem, vel justitiam Christi fide apprehensam, ad justitiam.

Huic verò, de quo egimus statui, non adversantur ærumnæ, & afflictiones, quibus propter nomen, & gloriam Christi, Christianus in Christum verè credens est expositus. Quos enim DEUS præscivit in Christum credituros illos quoque præsinivit conformes imaginis Christi Rom. 8, 29. Hæc namq; est optima Dei voluntas, ut Christianus in hac vita multis ærumnis, & afflictionibus exerceatur, & per multas tribulationes regnum Dei ingrediatur, Act. 14. Omnes, qui pie volunt in Christo Jesu vivere, persecutiones patiuntur, 2. Timoth. 3, 12. Nam calamitatis, sive crucis eventus, quæ

quæ Christianus afficitur, est salutaris, siquidem cum Christo adversa patitur, ut cum eo glorificetur, Rom. 8. 17. Certus sermo, Nam si commortui sumus, & convivemus, si sufferimus, & conregnabimus, 2. Tim. 2. 11. 12. Nam illicò præteriens levitas afflictionis nostræ mirè supra modum æternum pondus gloriæ parit nobis, dum non spectamus ea, quæ videntur, sed ea, quæ non videntur, 2. Cor. 4. 17. 18. Quam admodum igitur Abrahamus, promissione de semine futuro acceptâ, non securus est carnis, vel humanæ rationis dictamen, neque Domino promittenti objecit:

Ego sum provec̃ta ætatis, & conjux mea est effata, & naturâ sterilis.

E. E meis visceribus, & conjugis sanguine semen illud benedictum non prodibit: Ego non ero multarum gentium pater: In me non benedicentur omnes populi; sed oculos animi defixos habuit in Dei veracis, & omnipotentis promissionem, atque nefas esse duxit, promissionem divinam in dubium vocare.

Sic Christianus verè credens circa promissiones divinas rationem suam captivat sub obsequium Christi, atque in rebus adversis carnis sensu, & humanæ rationis instinctu non opponit:

Ego duris calamitatibus, & ærumnis sum expositus, multisq̃ probris, atque pressuris afficior.


E. Mihi Deus non est propitius, Ego non sum absolutus à peccatis in judicio Dei. Mihi non imputatur justitia Christi. Sed carnis, & humanæ rationis ita opponentis argumentum invertit, & respondet:

Ego duris calamitatibus, & ærumnis sum expositus multisq̃ probris & pressuris afficior:

E. Mihi Deus est propitius. Ego sum absolutus à peccatis in judicio Dei. Mihi imputatur justitia Christi: Mea peccata in conspectu Dei sunt tecta, & abscondita, mihiq̃ persuasum habeo, quòd neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia possit me separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu

Domino nostro.





EPIST. AD ROMA

*in præputio? Non in circumcissione, sed in præputio  
iustitiæ. Si igitur non sequitur:*

Abrahamus credens fuit carne inc

E. Ad Abrahamum credentem non  
quæ consistit in imputatione iustitiæ. Q  
ni potest.

Gentiles carne sunt incircumciss

E. Ad gentiles credentes non pert  
consistit in imputatione iustitiæ.

Annon gentili credenti, & carne in  
dò impuratur iustitiæ fidei, sicuti Abraham  
ta est ante circumcissionem?

2. Argum. invertendo.

Gentiles credentes carne sunt in

E. Ad gentiles credentes spectat b  
sistit in imputatione iustitiæ, remissione pe  
catorum, & non imputatione peccati.

Consequens probatur quia 1. Abrah  
credentium in præputio, ut etiam ipsis i

2. Abrahamus est pater circumcissio  
tia illis, qui non tantum sunt ex circumc  
cedunt vestigiis fidei patris nostri Abrah

Prius probatur sequen: argumente


Abrahamus signum accepit circumciss  
dei, quæ fuit in præputio, ut esset pater  
præputio, ut etiam ipsis imputaretur iusti

E. Abrahamus est pater omnium e  
ut etiam ipsis imputaretur iustitiæ.

Antecedens proponit v. 11. Et signum  
tam iustitiæ fidei, quæ fuit in præputio, ut esset  
in præputio, ut etiam ipsis imputaretur iustitiæ

Posterior probatur seqv. Arg

Abrahamus signum accepit circum  
fidei, ut etiam esset pater circumcissionis,



the scale towards document

13  
i imputata

bestitudo,  
, & oppo-

tudo, quæ

odem mo-  
la impure-

quæ confi-  
tione pec-

r omnium  
titiæ.

retur iusti-  
am, qui in-  
præputio.

iustitiæ fi-  
entium in

præputio,

cissionis sigil-  
credentium

v. 11.

am iustitiæ  
, ut impu-  
taretur